NOBILISSIMO FORTISSIMOQVE VIRO, D. IOACHIMO VAN der Luhe, Domino hæreditario in Ilovv, Conſiliario & Marſcalco Megapolitano, & territorij Dobertinenſis Præfecto, Domino & patrono ſuo colendo S. D.

HActenus ante alias Bucanani buccina vatis
Præcipuis placuit nobilitate viris:
Et meritò. quid enim grauius, quid dignius illa
Dauidica Auſonijs plectra ciere modis?
Sed tamẽ interdum ſtudium curſumq́; legentis
Obſtructis quædam ſunt remorata viis:
Illorum inprimis, quos magna negotia rebus
Non adeò obſcuris ſæpè vacare ſinunt.